

QUAER. 3^o *An sit peccatum mortale vesci offa, lactucis, etc., carne vel sagimine conditis?*

Resp. Affirm., si ille cibus sit notabiliter iurulentus; secus veniale tantum erit. Hinc mortale est, si ius offae cum magna carnis quantitate decoctum fuerit, et sic de aliis. Facilius autem excusantur a gravi, vel etiam levi peccato pauperes, qui cum butyrum emere non valeant, exigua sagiminis quantitate ad condiendam offam utuntur.

487. — *QUAER. 4^o Quinam a lege abstinentiae excusari censeantur?*

Resp. 1^o Pauperes mendicantes; manducare enim possunt quidquid eleemosynae accipiunt, *ut communiter sentiunt theologi.*

2^o Pauperes operarii, qui nihil aliud habent nisi frustulum sagiminis aut laridi ad offam aut lactucas condiendas. — S. Lig. n. 1008.

3^o Aegrotantes, v. gr. febriliter laborantes, etc.; ii etiam, qui stomacho ita debiles sunt, ut cibos licitos digerere nequeant; sed ab hallucinatione cavendum est, et medici religiosi et timorati consulendi sunt, si facile fieri possit. — S. Lig. ibid.

4^o Qui quotidie operam dant laboribus adeo arduis et stomachum defatigantibus, ut aegrotantium instar famem non experiantur, cibosque respuant; cuiusmodi sunt qui in fodinis, vel in officinis vitreis et ferrariis vitam degunt. Horum etiam in numero censendi videntur aurigae, qui plurium dierum spatio diu noctuque publicos currus ducentes, vix unum vel alterum frustulum cibi deglutire possunt; non autem ii, qui currus, equos vel mulos lente ducunt, et in cauponis nocte feriantur.

5^o Viatores, qui praeter cibos vetitos nihil in cauponis reperiunt, neque alio facile divertere possunt. Serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur. Sola enim ratio itineris nullo modo a lege abstinentiae eximit, etiamsi a ieiunio ob nimiam defatigationem forte dispenset. Hinc viatores excusari nequeunt ob humanum timorem, ob metum displicendi sociis, ob irrisiones, aliasque huius generis difficultates; secus enim omnes fere iter agentes ab hac lege eximerentur.

6^o Excipiuntur denique milites in castris vel contuberniis versantes, et expensis Gubernii in communi nutriti.

carnibus, non vero ieiunium praecipitur, eorum ratiocinationes de cibis, quae parum aut multum nutriant, sunt prorsus abs re, quia lex abstinentiae non impedit, quominus se quisque nutriat quoties et quantum liberit.

Caeterum etiamsi de ieiunio sermo sit,

opinionem hic ab A. relatae haud facile componentur cum iis, quae infr. n. 494. dicuntur de materia gravi in cibo, qui die ieiunii sumatur extra refectionem et coenulam. Numquid enim dimidia pars unciae carnis plus nutriat, quam duae tresve alterius cibi, v. gr. panis unciae nutriant?

DE VI. ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU DE IEIUNIO ECCLESIASTICO.

488. — Ieiunium Ecclesiasticum situm est in abstinentia a cibis et a certa ciborum qualitate, quae iuxta formam ab Ecclesia praescriptam servanda est tempore praesertim Quadragesimae, quatuor Temporum, et quarundam vigiliarum, scilicet Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini Nostri.

Agendum 1^o de essentia et obligatione ieiunii; *2^o* de causis a ieiunio excusantibus.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET OBLIGATIONE IEIUNII.

489. — I. *Fideles omnes*, a vigesimo primo aetatis anno completo, tenentur *sub gravi* ad servandum statutis diebus ieiunium, nisi legitime excusentur, vel a Superioribus dispensentur. Est antiquissima obligatio quae dicitur ab ipsis Apostolis tradita. Caeterum de hac obligatione constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, et ex omnibus Provincia- rum ecclesiasticarum Catechismis.

Dixi *1^o sub gravi*, quia lex respicit materiam gravem, quippe quae ad salutem animarum admodum conducit. Constat insuper ex Propos. 23^a ab Alex. VII. damnata, quae sic iacet: *Frangens ieiunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia faciat, puta, quia non vult se subiicere praecepto.*

Dixi *2^o a vigesimo primo anno expleto*; quia Ecclesia, pia mater, non vult imponere pueris et adolescentibus legem, eorum vires superantem. Constat ex consuetudine universali, et ex omnibus Catechismis.

II. Ieiunium ecclesiasticum tribus tanquam partibus constat, scilicet *1^o* unica comestione per 24. diei horas, vespertina refectione adiecta; — *2^o* abstinentia a carnibus et lacticiniis (1); — *3^o* tempore ad refectionem sumendam determinato. — Animadvertite tamen, consuetudinem locorum ac temporum maxime conferre ad determinandam, vel modificandam, vel coarctandam ieiunii naturam et obligationem.

ARTICULUS I. — DE UNICA REFECTIONE ET REFECTIONE UNICULA.

§. I. De unica refectione.

490. **Principia.** — I. Refectio unica est primaria ieiunii conditio: in hoc enim praecipue sita est eius essentia, qua quidem sublata, nemo

(1) Hoc est coarctandum iuxta ea, quae infr. n. 503. dicenda sunt.

unquam ieiunare dicitur, dum e contrario ieiunium sine abstinentia a carnibus et lacticiniis concipitur.

II. Parvae autem comestiones, quae praeterea fiant, venialia peccata erunt seorsim sumptae, et saepius eodem die repetitae in gravem materiam coalescere possunt, ut constat ex Propositione 29^a damnata ab Alexandro VII., quae sic iacet: *In die ieiunii qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium*; merito autem damnata est haec Propositio. Secus enim de ieiunio actum esset.

III. Ieiunium non frangitur haustu aquae, vini, aliarumque potionum, quae de se ordinantur et communiter adhibentur ad sitim sedandam, quamvis iuxta primam Ecclesiae disciplinam Christiani a vino et a similibus liquoribus prorsus abstinerint. Hinc axioma: *Liquidum non frangit ieiunium*. — Sic S. Lig. n. 1022. Per *liquidum* autem id solum intelligitur, quod *ex communi usu* sumitur per modum potus, non vero per modum cibi, ut lac, etc. — S. Lig. n. 1021.

491. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An vinum ad famem sedandam haustum frangat ieiunium?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia lex ieiunii praecipit tantum abstinentiam a cibo, non autem a potu, et iuxta S. Thomam, 4. dist. 13. q. 3. a. 4. q. 1., *Statutum legis positivae non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadat in praeecepto, sed est finis praeepti.* — S. Lig. n. 1022., et alii communiter.

QUAER. 2^o *An frangat ieiunium potus cafeae et theae?*

Resp. Neg. probabilius, nisi nimia sacchari copia admisceatur; quia haec non habent naturam cibi, sed potus vel medicinae. — *Ita communius.* — S. Lig. n. 1022., loquens tantum de thea dicit, eam posita restrictione modo allata *probabilius* rationem potus habere. Videtur idem de cafeo tenendum esse.

492. — **QUAER.** 3^o *An frangat ieiunium potus aquae saccharo immixtae vel e succis aureorum aut citreorum malorum effectae?*

Resp. Neg. per se, idest nisi magnam eorum substantiae copiam immisceas, quae rationem cibi habere censeatur. — *Ita communiter* cum S. Ligor. ibid. — Ratio est, quia haec omnia ex communi aestimatione tamquam potiones habentur (2).

QUAER. 4^o *An potio chocolati frangat ieiunium?*

Resp. Affirm., si pinguem, uti mos est extra tempus ieiunii, tibi praebeat nutritionem. — *Neg. vero,* si modica chocolati quantitas sumatur,

(2) S. Alphonsus (n. 1022. q. II.) licere idipsum concedit, etiamsi haec gelu concreta sint.

et semel tantum in die fiat. Ratio ex generali consuetudine deducitur. — Ita S. Lig. n. 1023. — Quenam quantitas sumi potest? Dicit S. Auctor, non minus quam unciam cum dimidia chocolati in cyathis ordinariis immittere solere; sic enim ex more ab Ecclesia tolerato, et a piis fidelibus servato communiter fieri solet. Non pauci autem, imminuta chocolati praedicta quantitate, panem pro rata substituunt. At vero totalis cibi illius quantitas duarum unciarum pondus, praecisa aqua, excedere non deberet.

493. — **QUAER.** 5^o *An liceat die ieiunii degustare aliquid cibi ante potum, ne hic noceat?*

Resp. Id sane non licet *toties quoties*, ut aiunt, quamvis Diana, Leander, aliique id quoque concedant; tunc enim irrisibilis foret lex ieiunii. Permitti itaque tantum potest semel aut iterum in die. — S. Lig. n. 1018.

QUAER. 6^o *An electuaria frangent ieiunium?*

Resp. Electuaria dicuntur ea, quae ex electis rebus, v. gr. ex saccharo et iunipero, etc. conficiuntur. Non censentur autem illicita diebus ieiunii, si per modum medicinae, et in modica quantitate sumantur. Sufficit autem quaelibet causa rationabilis ad excusandum ab omni culpa, v. gr. ad ciborum digestionem, stomachum confortandum, oris foetorem tollendum, vocem conservandam, et similia. — S. Thom. 2. 2. qu. 147. art. 6. — Sporer. — Elbel. — S. Ligor. n. 1010., addit, probabiliter eos quoque excusari, qui aliquid sumunt ne vires deficient, quando prandium ultra horam communem differre debent. Imo urgebit obligatio aliquid sumendi, si ad ieiunium servandum hoc sit necessarium (3).

494. — **QUAER.** 7^o *Quenam quantitas cibi censeatur materia gravis, si extra refectioem et coenulam sumatur?*

Resp. Controvertitur. Gravis procul dubio censenda est materia, quae vespertinae coenulae addita alteram efficeret refectioem. Certo autem quantitas duarum unciarum ut materia levis habenda est (4). Non pauci materiam gravem existimant quantitatem dimidia coenulae aequivalentem, seu quatuor uncias.

(3) Nimirum si adhibito hoc praesidio potes ferre ieiunium, quod aliter non ferres, ipsa ieiunii obligatio a te exigit, ut illud praesidium adhibeas. Vid. Croix lib. 3. part. II. n. 1324. Exinde patet, quosdam prorsus male mereri de ieiunio, dum vel praetextu consuetudinis, quae nondum in propria provincia invaluerit, fidelibus interdiciunt, ne quid mane sumant, vel hoc

ipsum ad meram potiunculam, crustulo interdicto, restringunt. Sic enim hoc unum efficiunt, ut plures, qui alioquin ieiunii iugum ferrent, illud omnino abiciant.

(4) Ita S. Alphonsus (lib. 3. n. 1025): *Cum censeant Salmantic. cum Sanchez, etc. duas uncias in refectiuncula non reputari excessum gravem etc.*

QUAER. 8^o *An qui culpabiliter duplicem sumpsit refectionem, graviter peccet, si tertiam superaddat?*

Resp. Neg., saltem *probabilius*. Ratio est, quia praeceptum ieiunii urget modo indivisibili, durante die praecepti; proinde qui semel illud violavit, non peccat iterum atque iterum comedendo. Ergo patrato semel peccato mortali per ieiunii violationem, tota lex tali die urgens violata est. Ergo, etc. — S. Lig. n. 1030. (5). — Mazzotta, Ronc., et alii communiter.

Qui tamen frangit ieiunium pluries comedens carnes aut lacticinia vetita, toties peccat, quoties comedit. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 20.

495. — QAER. 9^o *An qui inculpabiliter duplicem in die refectionem sumpsit, errore detecto, aut ablata causa excusante, teneatur sub gravi a tertia abstinere?*

Resp. Quidam *affirmant*. Ratio est, quia ieiunium *materialiter* tantum, non *formaliter* laesit: quare cum primum ad legem ieiunii advertit vel causam excusantem cessare videt, eidem legi subiicitur, eamque, ut cae-

(5) Ita S. Alphonsus (l. c.): *Negat secunda communis et probabilior sententia*: idque S. Doctor merito dicit contra Croix (lib. 3. p. 2. n. 1265., quem deinde exscripsit Ferraris V. *Ieiunium* art. 1. n. 37.) rigidius aientem, *valde probabiliter peccari mortaliter*. Ex Croix tamen S. Doctor sumpsit (quod sumpserat et Ferraris l. c.), *communissimam* esse sententiam, quod saltem venialiter peccetur. Ita ipse (l. c.): *Lessius, Filliucius et Croix cum communissima dicunt, id esse veniale*. At enim divinare vix aliquis posset, undenam et quo fundamento Croix prodierit in absolutam illam assertionem. *Tenendum est* (inquit) *cum communissima sententia, peccari saltem venialiter*. Nam Filliucius (Tr. 27. c. 2. n. 24.), prouti refert etiam Sporer (*Append. ad 3. Praec.* sect. 1. n. 18.), mere dicit: *probabile est, peccari saltem venialiter*. Et Lessius (lib. 4. c. 2. n. 17.): *Credibile est, in tertia et quarta comestione esse aliquod peccatum saltem veniale*. At praebetne haec supellex fundamentum absolutae illi sententiae, ut insuper dicatur *communissima*? Equidem Reiffenstuel

(Tr. 10. dist. 1. q. 2. n. 20.) oppositam dicit *communiorem*, licet concedat, posse quempiam *per plures comestiones peccare contra temperantiam*, quod ad rem non pertinet. Ita et Mazzotta (Tr. 2. disp. 1. q. 4. §. 2.): *Communiter Doctores affirmant, quod si post duplicem comestionem quis tertio comedat, non ultra peccat contra legem unice comestionis*. Quod idem videsis et apud Laymann (lib. 4. Tr. 8. c. 4. n. 13.). Numquid alioquin Croix suspicari potuit, idcirco putandos esse Doctores peccatum *veniale* admisisse, quia contra paucos quosdam thesim ponunt, non peccari *mortaliter*? Atqui hanc antithesim ratio adversae thesisi postulabat. Eo minus autem necesse illis erat, ut quaestionem moverent de aliqua saltem levi culpa, quod argumenta ab iis allata omnem culpam excluderent. Bene concludit Palaus (tom. 7. Tr. 1. disp. 3. p. 2. §. 2. n. 8.): *Si lex vetat alias comestiones, totidem erunt peccata gravia; si non vetat, nullum est peccatum. Peccari igitur poterit contra temperantiam, quod ad rem non facit, non vero contra ieiunium*.

teri, servare tenetur; secus enim eam formaliter violaret. — *Ita probabiliter* Reuter, *de Leg.* n. 176. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 20. Alii tamen *probabilius negant*, quia cum essentia ieiunii in unica comestione sita sit, post binam refectionem ieiunium impossibile evadit. — *Recole dicta de Leg.* n. 95.

496. — QAER. 10^o *Quid si die ieiunii inadvertenter ientatus fueris?*

Resp. 1^o Si parum quid sumpseris, v. gr. duas, tres vel quatuor cibi uncias, deberes quidem ex more ieiunare, quin refectionem ac coenulam consuetis horis deseras; non enim fuit *substantialiter* laesum ieiunium (6).

2^o Si quantitatem sumpseris coenulae equivalentem, transferre debes prandium ad vespertinum tempus, vel a coenula ipsa abstinere, nisi in grave incommodum hoc tibi cedat.

3^o Si tamen eiusmodi quantitas vel duplici fere coenulae vel consuetae refectioni par fuerit, deberes, omisso prandio, vespertinam tantum coenulam sumere, eam tamen maturius, si absque gravi difficultate expectare nequeas. Hanc insuper coenulam pro necessitatis ratione augere posses.

§. II. De collatione serotina.

Praeter consuetam refectionem licet, ex consuetudine universali a multis saeculis introducta, et ab Ecclesia tolerata, imo tacite etiam approbata, sumere sub vespere refectiunculam ex levioribus cibis. — *Ita omnes*.

497. **Quaesita.** — QAER. 1^o *Quaenam cibi quantitas in coenula sumi possit?*

Resp. Ex hodierna et communi consuetudine *octo circiter cibi unciae*, saltem ordinarie loquendo, sumi possunt. — Ita S. Lig. n. 1025. — Alii vero permittendam aiunt quartam coenae partem (7). Verum haec do-

(6) Cum A. (sup. q. 7.) fateatur, iuxta plurium sententiam (quae alioquin prorsus tenenda videtur) quantitatem quatuor unciarum constituere materiam gravem, vix enimvero apparet, quomodo *substantialiter* ab eo servetur ieiunium, qui quatuor cibi uncias sumpserit; quippe duo haec, scilicet peccare graviter contra legem ieiunii, et servare quoad substantiam ieiunium, parum cohaerere videntur. Quispiam fortasse melius dixerit, coenulam quoque tibi non negari ratione cuiusdam necessitatis, non vero quasi ieiunii substantiam haec nihil per se laedat.

(7) Sedulo advertendum hic est nomine coenae apud Auctores, ubi de ieiunio agunt, venire prandium, seu unicam illam comestionem, quae a ieiunantibus servatur. Unde Azor (lib. 7. c. 8. q. 3.): *Vult Ecclesia, ut certo tempore et non antea prandeamus, seu potius coenemus*. Et (cap. 24. q. 5.): *Ieiunii dies coena constat, non prandio*. Et Struggl. (Tr. q. 2. art. 2. n. 25.) idcirco refectionem istam vocat *coenam meridianam*; quia scilicet (ibid. n. 27.) *olim hora refectionis in quadragesima fuit vesperi*; itidem *coenam meridianam* appellat Holzmann

etrina nimis vaga vel scrupulis obnoxia est. — Quantitas octo unciarum nemini deneganda videtur, maior autem concedenda iis, quibus haec non sufficeret. — S. Lig. *ibid.* — Elbel, Lacroix. — Sane statui nequit

(part. 3. Tr. 1. n. 23.). Vid. etiam Lessium (lib. 4. cap. 2. n. 11.), Reiffenstuel (Tr. 10. dist. 1. q. 2. n. 27.), Ferraris (V. *Ieiunium*, art. 1. n. 46.), Sporer (*App.* ad 3. praec. sect. 1. n. 20.), Giribaldi (Tr. 8. cap. 3. n. 58.), Sanchez (*Consil.* lib. 5. c. 1. dub. 25. n. 2.), Valentia (tom. 3. disp. 9. q. 2. p. 3.), Tamburini (lib. 4. c. 5. §. 3. n. 1.), Croix (lib. 3. p. 2. n. 1277.) etc. Exinde quae apud A. dicitur quarta pars coenae, solet etiam quarta pars prandii, seu comestionis, seu refectiois appellari. Ita v. gr. Pichler (lib. 3. tit. 46. n. 6.): *Plurimi permittunt quartam partem iusti prandii vel coenae integrae ac plenae.* Ita et Reuter (part. 2. Tr. 3. q. 3. n. 174.); *Ut cuilibet liceat quarta vel quinta pars prandii, seu refectiois iustae.* El Gobat (*Quin.* Tr. 3. cap. 28. n. 208.): *Consuetudo permittit, saltem in Germania, practicari doctrinam Filliucci, Reginaldi, Laymann tradentium, posse libere pro refectiuncula vespertina tantum comedi ex rebus permissis, quantum aequat quartam partem iusti prandii.*

Caeterum, si Reginaldum audias (lib. 4. n. 185.), coena seu prandium, cuius pars quarta conceditur, intelligitur coena seu prandium *ieiunantis*. Ita ille: *Caveat excessum, quem dixerim ordinarie contingere, quando id, quod sumitur, notabiliter maius est quarta parte eorum, quae ieiunanti sufficerent ad ordinariam suam coenam.* Qua de re addunt generatim, rationem habendam esse regionum. *Sunt enim* (inquit Reginaldus l. c.) *regiones aliae aliis calidiores aut frigidiores, ubi* (subdit Wagemann part. 2. Tr. 2. cap. 4. n. 51.) *ex aeris rigore maior cibi appetentia, et homines magis laboriosi, nec tanta cibi potusque fortitudo.* De quo et Salmanticenses (Tr. 23.

cap. 2. n. 71.): *Alii plus provincias frigidas habitantibus, quam degentibus in regionibus temperatis concedunt.*

Exinde vero haec regula ipsis Salmanticensibus (*ibid.*), et post eos etiam S. Alphonso (lib. 3. n. 1025.) visa est relaxationibus exposita. Et reipsa, ut notat Tamburini (l. c.) sequitur ex hac regula quod *si viginti uncias assumere in coena soles, possis assumere quinque: si quadraginta, decem. Sed quia* (subdit) *communiter vix ad triginta duas uncias hominum coena solet ascendere, ideo qui octo uncias concedunt, non longe ab hac regula videntur recedere.* At tamen et Diana postquam (tom. 4. tr. 6. res. 116. n. 3.) de hac sententia dixit: *Quintam sententiam nimis laxam existimo; rationem reddit* (*ibid.* res. 119. n. 1.) *inquiens: Neque est tuta in praxi quia per comestionem intelligit meridianam coenam; et quidquid intelligat, est falsissimum, quia in his comestionibus communiter homines ita magnam quantitatem assumunt, ut quarta pars sit quantitas notabilis: testes appello Hispanos, Gallos, Flandros, Germanos.* Alioquin Diana octo uncias concedebat. At enim reponet Holzmann (l. c.): *Ego conscendo in sententiam Laymanni, Filliucci, Reginaldi, Sporeri aliorumque plurimorum, iudicantium, quartam partem coenae ordinariae... recte statui pro quantitate modica, hac non mathematice, sed moraliter diiudicata, pro quali etiam habita fuit communi theologorum consensu in celebri quadam Academia desuper consultorum, ut testatur Filliuccius.* Et cum Gobat simul testetur (ut sup. hic vidimus) hanc Germaniae esse consuetudinem, Holzmann concludit (l. c.) *quod consuetudo, quae refectiunculam*

regula omnino fixa, cum etiam ad complexionem, munera obeunda, durationem ieiunii, etc. attendi debeat. Licet in genere sumere quantum necessarium quis ducit ad evitandam indispositionem, quae ipsum impediatur, quominus officia sua convenienter obeat. — Scav., Gousset. Habenda etiam est ratio propriae regionis, sicubi maior cibi quantitas necessaria est.

498. — QUAER. 2^o *Qualis excessus censeatur gravis in coenula?*

Resp. Omnes conveniunt excessum duarum unciarum esse materiam levem. — S. Lig. *ibid.* — Severiores cum Concina gravem esse docent excessum *duas uncias superantem.* Non pauci requirunt excessum supra coenulam alteri dimidia coenulae aequivalentem; alii tenent cum Billuart requiri excessum, qui seorsim sumptus coenulae integre aequivaleat (8).

Variis in locis ex inducta consuetudine in vigilia Nativitatis, aut in coena Domini sumere licet quantitatem duplo maiorem; sed haec consuetudo non ubique viget.

QUAER. 3^o *Quaenam ciborum qualitas adhiberi possit in coenula?*

Resp. Panis, fructus quilibet, olera etiam quaelibet, et dulciaria varii generis. Sed imprimis servanda est locorum consuetudo. Plura enim permittuntur in variis dioecibus, vel provinciis, quae alibi interdiciuntur: sic, v. gr. in Gallia et alibi generatim caseo vesci licet.

499. — QUAER. 4^o *An liceat comedere ova et butyrum in coenula vespertina?*

Resp. Neg., generatim, licet habeatur dispensatio pro lacticiniis, ut

vespertinam introduxit, praeter quantitatem etiam qualitatem cibi in illa licite sumendi introduxit; cui proinde ad ieiunia obligati se accommodare possunt et respective debent. Qua de re et S. Alphonsus (l. c.): *Sed hic ante omnia animadvertendum, praecipue in his attendendam esse consuetudinem locorum, ut bene advertunt Caietanus, et alii passim: certum enim est, quod ubi agitur de consuetudine circa ieiunium, quam circa omnes alias Ecclesiae leges, quibus nemo negat per consuetudinem derogari posse, auctoritas Doctorum recentiorum licet pauciorum qui soli de posteriori moderna consuetudine testari possunt, pluris facienda est, et sine dubio praefenda auctoritati, etsi communiore,*

auctorum antiquorum, qui nihil de consuetudine imposterum introducenda scire poterant. Cum autem auctores de aliqua consuetudine testantur, id non temere et sine sufficienti fundamento asseruisse credendum est. Dianae autem sic Sporer (*App.* ad 3. Praec. dec. sect. 2. n. 26.) respondet: *Haec est recepta opinio Doctorum in Germania: quamvis Auctores citati Diana, Turrianus, et alii nimis laxam, improbabilem, et minus tutam in praxi proclamant. Mittant illi Germanis tempore ieiunii suum calidum caelum, cibum et vina pingua, fructus, et confecta etc., et ieiunabimus cum ipsis.*

(8) Hanc opinionem forte haud prorsus immerito dixeris paulo laxiorem, cuius tamen, ut vides, auctor est probabiliorista.